Stanislaus

lent. Joan. Cant. Processus honoris

dicii

M D CC
X
V V V V V V
I I I I I I I

PROCESSUS HONORIS JURIDICI

per tres Instantias
Virtutum, Laborum & Meritorum.
In Arèópago Literario
GESTUS.
& cùm à
CELSISSIMO PRINCIPE,
ILLUSTRISSIMO & REVERENDISSIMO DOMINO,
D. ANDREA
TANISLAO KOSTKA
COMITE IN ZAŁUSKIE
ZAŁUSKI,
EPISCOPO Cracoviensi, DUCE Severiæ,
EQVITE AQVILÆ ALBÆ,
tudii Generalis Regni Scholæ Vniversitatis Cracoviensis
CANCELLARIO FAVENTISSIMO,
Perillustris Clarissimus & Admodùm Reverendus Dominus
D. M. STANISLAUS
MAMCZYNSKI,
J. LICENTIATUS & PROFESSOR, Ecclesiarum; Collegiatarum S. Michàélis in Arce ac. DECANUS, Sandecensis PRIMICERIUS, in Krulowka CURATUS, Judiciorum; Curiæ Episcopalis & Consistorij Generalis Cracoviensis ASSESSOR, Canonizationis B. BOGUMILI Archi-Episcopi Gnesnensis PROCURATOR.
Utriusq; Juris DOCTOR
In Ecclesia Collegiata Sanctorum Omnium,
præsente frequentissimâ Magnorum Hospitum Coronâ,
RITU SOLENNI RENUNTIARETUR.
ex Protocollo Actorum Laudabilium
Ejusdem NEO-DOCTORIS
EXTRACTUS.
ac per me
VALENTINUM; JOANNEM CANTIUM FRANCHI, AA. LL. & Philosophiæ DOCTOREM, Ejusdemq; PROFESSOREM, Publicum Authoritate Apostolica NOTARIUM.
plaudente calamô
PUBLICATUS.
Annô
SupreMI IVDICIs, CVIVs potentIa In qVasVIs potestates eXtensa. *can: Quæ contra. Dist. 8*
Die verò Jovis 28. Mensis Martij.

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.

Eſt virtus & Vir bonus, menſura omnium rerum, Cujus merces honor & gloria.

Ariſt. Lib. 9. Æthic. cap. 4.

Juſtus ác honeſtus Viri labor; honoribûs, præmiîs, ſplendoribûs decorandus.

Cic Lib. 1. de Oratore.

Dignum eſt: ut fructus meritorum ſequantur vota fidelium, & ſuperiorē gradum accipiat, quem geſtarum rerum integritas affecta commendat.

Caßiodorus. Lib. 4.

Juris Doctor: veluti Sydus irradiat matutinum, (a) fulget veluti ſplendor firmamenti aut ſtella in perpetuas æternitates permanſura, (b) & eſt fermè radius ſolaris. (c)

(a) *c. ſuper ſpecula. de Magiſtris*
(b) *can. Multi. de Pœnit. diſt. 2.*
(c) *tex. in l. Si Arborem. §. ſi tamen. v.*
Locus opacus.

PROCESSUS HONORIS JURIDICI
Jn prima Virtutum Instantia.

Lex jubet, Justitia svadet, (a.)
præmij quantitate metiri magnitudinem meritorum. (b.)
Etenim docet:
quotidiana experientia; Magistra rerum. (c)
Honoris augmentum non ambitione;
sed labore, ad unum quemq; devenire. (d)
Quippe:
post labores Victoriæ: palma expectatur, (e)
post insistentiam studio: beneficia insequuntur. (f)
Et ideo:
dignum est, ut recipiat emolumentum; qui præstat obsequium. (g)
Nam:
Si labor in damno est; crescit mortalis egestas,
Et virtuoso præmia sunt danda; (h) *ut alimenta Ejus.* (i)
Vtiq;
promeruit sibi Vlpianus Iurisconsultus,
& Pater Imperatoris dici; (k) & Amicus esse, (l)
plus ultra: Antecessor Throni nominari; (m)
ob Virtutem, Scientiam, & laborem.
Enim vero:
Aromata longè lateq; spirant, si terantur;
Virtutis fama labore pressa, diffunditur. (n)

(a) can: si Officia. Dist. 59. (b) l. jubemus C: de Erogat: rei Milit: (c) §. qui de satisdat (d) l. unicuiq; C. de prox: Sacr: Scrin: & l, 2. de Offic. Mag. Offic. (e) l. 1. de princ. agen. in reb. (f) c. cum in cunctis de Elect. (g.) can. Ecclesiasticus 12. qv. 2. & Prov. 12. (h) gloss. in Auth. de Judic. Coll. 6 allegans illud Catonis. (i) can. Eccl. §. Præfat. Instit. (k) l. 4. ex Divis: C. Locat. (l.) l. 4. C: de Contr. Stip, (m) in Proëm. ff. §. l. & §. Discipuli. (n.) ex Constit. Lib. 1. C: 8.

7118

Arboris adinſtar;

quæ, ſi ventis agitetur; altiùs radices figit.

Et virtus: ſi flabris laborum impellatur; fortior evadit. (a)

Quare:

non immerito his Sacra & Sancta Themis;

portas dignitatis aperit;

quos vitæ turpitudo, à virtutum & laborum non ſegregat Cætu (b.)

Nec aliter Juſtitia:

Ius ſuum unicuiq; tribuit (c)

Niſi ſervatâ figurâ Proceſſûs Iudiciarij.

TRANSACTIO hujus Iudicati ex Protocollo Actorum laudabilium in forma probanti & Authentica (d) deducitur

8. 2. 9. 6. 7. 3. 4. 5. 1.

Digniſſimus NEO-DOCTOR.

Perilluſtris Clariſsimus & Admodum Reverendus Dominus,

D. M. STANISLAUS

MAMCZYNSKI,

Cujus prudentiam, & in rebus agendis dexteritatem (e)

Quis, quid, coram quo, quo Jure, & à quo (f)

notam, perſpectamq; habeat?

Proceſſus in prima Virtutum Inſtantia geſtûs.

de plano & ſimplici (g.) *levatô velô* (h) *manu regia* (i.) *docet*

Ergo citaris Mercurij Calame!

per Edictum (k) publici Applauſûs

Actione negotiorum dive-geſtorum (l) conventus.

Qui, ne Aggravationis incurras Cenſuram?

legitimè & peremptoriè, non expectatô Monitoriô compareas!

Ad videndum & audiendum;

8. 5. 9. 1. 2. 3. 4. 6. 7.

quomodo: NEO-DOCTOR Digniſſimus.

(a) *libr. 1. de Conſit:* C. 8. (b) *l. 2.* C. *de Dignitatibus:* (c) *can: cum devotiſſima 12. q. 2. & gloſs. in c. ſarus. ſuper verb. juſtitia de v. s.* (d.) *termini practici in extrahendo Proceſſu,* (e.) *ter: pract: ex literis Commiſſionis* (f.) *diſtichon quid in ſe Libellus continere debet Janid: cap: 16.* (g.) *idem quod ſummariè gloſs: in Clement: ſape verb: mandamus. de v. s.* (h.) *idem: Marantha D. 9. n. 32.* (i.) *idem: Ridolphus p. 2. n. 14.* (k) *idem quod Cit: generalis s. Litera Grida* (l) *§. 1. Inſtit. de oblig: quæ ex quaſi contr: naſcen.*

quomodo

ſuper vitæ probitate, laborum gravitate, literaturâ,
meritis, cæteriſq; virtutibus, Orbi literario commendatus. (*a.*)
pro tantis Officijs ad Iuris Beneficium
pro oneribus ad honores ampliſſimos
inſtitui ac inveſtiri.
Cæteráq; quæ de jure venerint peti, fieri, ſtatui & ſententiari (*b*)
pomeruerit.

Hinc in Acceſſorijs:
exceptiones declinatorias Fori ne opponito!
ex ratione domicilij contracti teneris (*c*) replicat Honor.
Recuſatorias Judicis in vim duplicationis ne forma!
Almam Matrem, irrecuſabilem Themidem (*d*) agnoſcere debes;
triplicat Tullius Honoris Cauſidicus.
Libellum generalem eſſe; ad Articulos reduci, ne flagita!
verborum prolixitas à jure reſpuitur; (*e.*)
quadruplicat Principalis Patronus.

Imò:
Sacra Themis viſis videndis ex Reatu directè reſpondere mandat, interlocutorio Decreto mediante. (*f.*)

Hinc:
ex adverſo: narrata prout narrantur vera eſſe negas ne?
tergiverſaris!
In contrarium: Honoris Patronus ſe ad probandum
viâ virtutum, ac omni probationis genere
admitti petijt, & obtinuit.
Inducit Teſtes omni exceptione majores: (*) (*) *Prima Species prob: plena.*
Regum Coronatricem, (*g*) Matrem Vrbium (*h*)
Caput Provinciæ (*i*) Menſuram, Civitatum (*k.*) aliàs Metropolim:
Cracoviam Natale ſolum.
Cui: ad perhibendum fidele veritatis teſtimonium
verba dicendi ſubminiſtrant,
Nobiles (l.) olim & Spectabiles Domini

(*a.*) *t. p. ex Lit: Com:* (*b.*) *t. p. ex Conl: in cauſa* (*c.*) *Engel: Lib: 2do de foro competent:* (*d.*) *Gail: Obs: 3. per tex: in prudentiam de Offic: Delegat:* (*e.*) *l. Ampliorem §. in Refutatorijs C. de appellat.* (*f.*) *Decretum Interloc.* (*g.*) *Conſtitutio Regni Poloniæ A. 1564. fol. 59. § naprzod: & A. 1569 fol: 74. A. 1638. fol: 24. A. 1648. & alibi Zalaſzovius Jur: Reg: Pol: Lib: 1. Tit: X. de Coron: Reg:* (*h.*) *l. i. C. de Metrop: Boryt:* (*i.*) *can. de his 13. q. 12.* (*k.*) *Iſidorus Lib: 7. Etymol. 12. & in c. Clerus 21.* (*l.*) *Conſtit: Reg: A. 1581. ſub ver. Krakow. fol. 374.*

720.

5. 4. 7. 8. 9. 6. 10. 3. 2. 1. 11.

DD. SEBASTIANVS MAMCZYNSKI,
PROCONSVL CRACOVIENSIS,
& CATHARINA PARENTES,
Vir hic Juris-Consultus peritissimus,
Cujus Domus: Oraculum totius Civitatis, (*a.*)
responsa dabat, sed quæ:
Solonibus, Licurgis, Trismegistis, atq; Pompilijs
Legum Conditoribus; (*b.*)
fuêre consona.
In rebus sæpè publicis privatisq; lapsa erigebat, fatigata reparabat, quiq; non minùs Civitati providebat, quàm si prælijs ac vulneribûs Patriam salvaret. (c)

3. 9. 5. 6. 7. 8 4. 2. 1.

Mater CATHARINA *an Cithara* virtutibus resonans; devota Paula Pium, prudens Magistra doctum, in fundamento Iuris: *Filij Matrisant.* (*d*) imò: ambo Regulâ Iuris disponente: *Bonum, quia de bono genere natum; comprobârunt* [*e.*]
Comparent insuper *Classici* (*f.*)
ac nisi propter singularissimas Virtutum dotes singulares (*g.*) Testes dicendi.

Nimirum:

Clarissimus & Excellentissimus Dominus

D.M. STANISLAUS
WADOWSKI,
In Vniversitate Cracoviensi Philosophiæ, Romæ, Medicinæ Doctor,
NEODOCTORIS ex Sorore NEPOS.

(*a*) Cic. *l. de Orat.* (*b.*) *Cant. Moyses D. 7.* (*c.*) *l. 14. C. de Advocat. diver: Judic:* (*d.*) *l. 1. §. 8. ingenui de stat. hom.* (*e.*) *l. quodsi nolit. §. qui mancipia.* (*f.*) *id est: fide digni, Hoonet: Const 100. n. 14. & in singulari Processûs Judic: Lib: 1. Sect: 5. pun: 1. pag: 186.* (*g*) *Singularis Testis est qui contestem non habet. Singularia Processûs ibidem pag: 187.*

Arriserunt

Arriſerunt docto Illius palato,
erudita Palladis bellaria,
ex quibus; licèt multa ad guſtum Animi caperet;
creſcentem nihilominùs majorem ſemper
Eruditionis famem, explevit nunquam.
Ideo:
Pòëta, Orator, Philoſophus cum ſit;
Romam Caput Orbis (a.) communem Patriam (b.)
Regnorum Dominam (c.) proficiſcitur.
Chriſti Scientiæ (*qui ſolus langvores ſanabat*) (d.)
operam ſedulô navat.
Iamq; cum Æſculapio, Mitridate (e.) Iuba Mauritano (f.)
dignus eſt magnorum Virorum volitare per ora:
Cui ſingulariter:
Lechici Regni *ORACULUM* (g.)
Suo Celſiſſimo Ore:
laudum dat Galeno opes.
Alter poſt funera (*quem Muſa vetat mori*) ſiſtit.
imò: evolat de cineribus, Oratorum Phenix
Clariſsimus olim & Excellentiſsimus
M. ÆGIDIUS
WADOWSKI,
Philoſophiæ Doctor & Profeſſor, Collega Minor,
Meritis maximus;
Eloquio, quô non ſurrexit Major.
Cujus Volumina laborioſo partu
ad perpetuam rei memoriam facta,
inter Novellas Eruditorum Operum

(a) l. 1. C. de Veter. jur. enu: §. nulla. (b) ff. ad Manil: Roma. (c) Ægid: Perrinus J:C. in vita Juſtinian: (d) Marc: 5. ℣. 22. Math. 5. Joan: 4. (e) Hic Rex fuit Medicus ut ait Galenus Lib. de Commendationibus Theriacæ ad Cæs. (f.) hic Rex ſimul Medicus ſcripſit Volumen de Euphorbio Plin: Lib: 25. cap. 7. Iiſdem Studiis occupatum fuiſſe Salamonem, docet Joſephus 8. Antiqv. 2. (g) id eſt Princeps gloſſ: in l. digna vox C. de leg.

 Areopagus

Areopagus Literarius recondit.
Vterq; igitur & suæ gloriæ documentum
& NEODOCTORIS fidele veritatis Testimonium
extitit.

Impingvant pleniùs Virtutum Principalis testimonia (*) (*) 2. Sp: pr: p:
publica privataquè Instrumenta
Quorũ *Transumptum*: tenerã sc: ætatẽ ad magna natã,
Exemplar: probitatum Ideam,
Memoriam, Copiamq; (a.) Eruditionis Acervum,
ut in Magistro AA. Divina manifestentur & declarentur mandata; (b.)
Vtraq; Philosophica Laurus
cum suo Virtutum Originali, & Scientiarum Authentico
concordari legalizavit;
Annuloq; Doctorali communivit.
Plura probat Evidentia Facti [*] (*) 3tia Species prob: plenæ.

8. 5. 7. 4. 9. 1. 6. 2. 3.
à Iusticia Iustinianus [c.] NEODOCTOR
à pietate Animi pijssimus (d) Nerva
imò: melioris conditionis, quia Sapiens (e)
In Classibus Pinczoviensibus,
honoratur eatenus; quatenus oneratur (f.) labore Academico.
Quem alacri Animo,
affectio etenim Operi imponit nomen (g) *suscepit.*
Hinc
Inclytus Chiron: Polonos Achilles, Xenophon, Cyneas,
Ausonius Gratianos, Alquinus Carolos
Scientiam Pietatis (h.)
Grãmaticales scilicet leges vigilãtibus subvenire, (i.)
docet.
Pöeticas Elocutiones

(a.) Species Instrumentorum (b.) can. de quibusdam dist. 37. (c.) l. 1. C. de SS. Trinit: & Fid: Cath: (d.) l. Imper. C. de Nupt: in prin. (e.) C. de post l. 2. & in auth: de Jud: §. 1 in gloßi qui ex se Coll. 6. (f.) tit: 11 §. 1. hoc solum (g.) C. ad l. Corn. de sica: l. 1. (h.) can: si quis artem Dist: 37. (i.) ff. quæ in frau. ire l. pupillus in fin.

qua

quæ à Divinis Sripturis sumpsêre exordium (a.)
Venusinus Vates Studentium instillat animis.
Imò unicuiq; imperat:
continuet studium, velit à quocunq doceri (b.)
Vnde quod:
Augusto Virgilius, Ælio vero Imperatori Martialis.
Scipioni Affricano Ennius, Alexandro Chærilus,
Mecænati Horatius, Messalæ Tibullus.
hoc idem:
Illustrissimo olim & Excellentissimo Domino,
D. JOSEPHO
Marchioni in Mirow & Pinczow
MYSZKOWSKI.
Castellano Sandomiriensi, &c Acad: Pinczoviensis
Pijssimo Fundatori, Regum Corculo,
Reipublicæ Ocello, fuit Cujus gratijs vixit,
1, 6. 2. 5. 8. 7. 3: 4. 9.
Dignissimus NEO-DOCTOR.
Verùm; pleniùs adhuc
Actoratum Principalis probat Notorietas seu Notitia Juris.
Equidem fortunato passu redux Cracoviam:
Æqui boniq Artem (c.) Hespero & Lucifero clariorem (d.)
commune pretium, Virorum prudentûm Consultum (e)
Jurisprudentiam amplectitur;
Iuris ipse Regula seu norma vitæ. (f.)
Justinianum Aristoteli & Aristotelem Iustiniano.
pulchro fædere ligavit
Cor Platonis, Anima Corporis Iuris Canonici dicendus.
Imò ex utroq; Cæsar:
cum non pauca ex Codice Theodosiano,

(a) *can: legimus. Dist. 33.* (b) *Ægidius Perrinus Jurisconsultus Institutionum Imperial: in Pròëm: pag.* 23. (c.) *l. 1. ff. de Justitia & Jure.* (d.) *Aristoteles 5. Æthicorum.* (e.) *l. 1. ff. de Legibus* (f.) *can: Regula, Distin: 3.*

Institutionibus Iustinianeis, Digestis Imperatorum,
Authentico, in mentis suæ Cancellaria acticavit.
Non immeritò Pandecta
id est: omnium Consultorum doctrina mansit. (a.)
Ne tamen Thòérica tantummodò speculetur;
dat practicæ literaturæ operam.
In Cancellaria Consistorij Cracoviensis
Protocolla Actis Actorum implet,
Nullumq; tam Festum Palatij observabat (b.) quàm Judicia audire de auditis notare, notata ad praxim reducere solemne habuit.

7. 8. 6. 5. 1. 2. 8. 3. 4.
Hinc Dignissimus NEO-DOCTOR (c.)
ex vehementi ac juris & de jure præsumptione, plenè;
per Sculpturam Instrumentorum, Scripturam Actorum,
comparationem literarum; juris, sufficientissimè
Clarissimus, (d.) Inclytus, (e.) Publicus, Sacrâ Authoritate Apostolicâ
3. 1. 5. 4. 2. 6. 7. 8.
NOTARIUS (f.) ac Judex Ordinarius (g.)
probatur, & in facto creatur.
En publica Persona Sacramento adstricta (h.)
imò ipsum Sacramentum; quia pignus in templo Honoris depositum (i.)
Cujus: non solum animus, sed & Corpus, Seminarium Dignitatis. (k.)
Officium vitæ hominum necessarium; (l.)
præeminentia superat omnes, [m]
adeo:
ut in manu DEI sit potestas hominum
& super faciem Scribæ (hujus) *impositus honor.* (n.)
Itaq;
Tullius: pro Domo Honoris Principalis Orator & Patronus.
ad Mensam Sacræ, Sanctæ stans Themidis, ergo.
expeditîs omni genere probationibûs;
in Causa conclusit *juxta schedam.*

(a) *C. de Vet. Jur. l. 2. §. sed cum omnia in fin:* (b) *id est: die Feriata, quâ silent strepitus Judic.* (c.) *Anagr:* o! Cor donet. (d) *Authent scriptum exemplar.* Coll: 2. (e.) *id est: à gestis magnificus Accur: in Instit: Pròém: Col: 2.* (f.) Ornat Jus (g.) *termini ex Instrumento Notariatûs.* (h.) *in singul. Processûs Judic: Lib: 1. de Just: & Jur: pag. 72,* (i.) *Joan: Clericatus Tom: 1. Lib: 1. de Sacram: in gen: Dec:* (k). Novell: 31. (l.) *l. 4. de Advocat: diver: Judic:* (m) *Theod: & Valen: in Novell. de post:* (n) *Eccl: cap: 10.*

Honor

HOnor Virtutis præmium, mentis honeſtæ pulcherrimum incitamentum, poſt deducta probitatum ſpecimina, multorum accendit deſideria, ut nemo ſit qui velle recuſet: os populi meruiſſe; in *Perilluſtri* verò *Clariſſimo Domino* NEO-DOCTORE Digniſſimo, ultrò ſolus conſpici cupit & videri. Enimverò? ex depoſitione Teſtium Iuſtus à juſtitia, pijſſimus à pietate, à bonis Optimus luculenter deducitur, imò, quòd illi, omnes virtutes Morales in differentias individuales, hoc eſt: non communes cæteris abivêre; evidenter probatur. Confirmat in Eo Evidentia Facti & Iuris intellectuales, diceret aliquis acquiſitas virtutes? ni feciſſet, prima principia intelligentem, altiſſimas cauſas ſapientem, certa ſcientem, in agendis prudentem, in faciendis arte doctè pollentem, DEVS & natura. Concludunt Theologicas, faciuntq; Inſtrumenta publica bonam fidem, Fama communis amorem conciliat, vehemens ac neceſſaria præſumptio ſpem fortunatæ beatitudinis, & non vanum Honoris augurium infert. Proindè inhærendo ijſdem: ex præmiſſis *Decretum favorabile ferri, in ſcriptis promulgari, ac debitæ Executioni demandari, debita cum Inſtantia poſtulavit.* Huic: plaudente Mercurio ex adverſo Citato, annnuente,

Tandem: Iudiciũ Cæli, terræq; Filiæ, Supremæ Deæ Iuſtitiæ *quæ Decretum æqua gerit, rectam librat quæ pondere lancem*) Sacræ Themidis *pro parte Honoriũ;* pro Tribunali ſedẽtis; attentâ depoſitione Teſtium, ac alijs Virtutum Iuribus maturè perpenſis, *quoniam:* præmia ſunt Alimenta Virtutis, *idcirco:* *Perilluſtrem NEO-DOCTOREM Digniſſimum* ad Capitolium Honoris inſtituendum ac inveſtiendũ duxit: uti quidem inſtituit & Stolâ gloriæ inveſtit. Claves Scientiarum ad reſerandas Portas Dignitatis confert. Stallum Præeminentiæ & vocem cum plenitudine ſortis benignæ aſſignat. Mandatq; de omnibus & ſingulis Honoris fructibus, fortunæ proventibus, boni Nominis Cenſibus, necnon incolumis vitæ emolumentis univerſis, ad longas annorum Myriades per eos ad quos pertinet plenariè & integrè NEODOCTORI reſponderi. *Decreti favorabilis vigore ad præmiſſa mediante.*

Ab hac ſententia viâ laborum ad altius Honoris Subſellium Tullius Principalis Patronus.

Appellat.

PROCESSUS HONORIS JURIDICI
In secunda Laborum Instantia.

JVris & æquarum Cultor Sanctissime Legum *
Veridico Latium qui regis ore forum *
Qui regis, augustis parentem legibus Orbem; *
Quive per Aonias famâ celeberrimus Vrbes; *
Irreprênsa dabas populo responsa petenti. *
Huc adverte libens: ✠ aures præbere memento. *
Huc Pater ô Lenææ venis ✠ vocatus Apollo. *
Hanc *Appellantem* Mecænas aspice partem. *
Tullius Appellat, causam promovet Honoris.
Inchoat alloquijs: ✠ *juris*, da vela petenti. *
Mercurium jubeas coram Te sistere Judex. ✠
Vt possim causas tantarum exponere rerum *
Sistit: & alternis contendere versibûs ambo *
Cæperunt: Actor volens ostendere jura, †
Respondet calamus, juris *formalia* monstra! *
Replicat hinc Actor, rectè *fatalia* servo †
Duplicat hinc calamus, nunc *materialia* quorsũ? *
Triplicat en Actor, perstat poscitq; laborum
Tramite, monstrando justam se dicere causam.
Judicis arbitrium visis hîs atq; videndis; ✠
Hinc sic Mercuriũ alloquitur, tum talia mandat. *
Dicat & articulet proponat parti libellum,
Si negeti ergo Actor monstret primũq; labores
Explicet in docto MAMCZYNSKI, cujûs oculatus
Alma Pátens ✠ Nostrûm Testis verissima ponit,
Quod sit Vir factis ✠ animô præstatior omni *

* Mart: Lib: 10.
* Man: Lib: 1.
* Ovid: 3. Met.
* Ovid: ibid: 3. met.
✠ Sta. L. 2. * Lucr. l. 2.
✠ Virg. 2. Geo. * id. 3. Æn.
* Virgil. 4. Georg.
✠ Luc. 10. Ph. * Virg. 2. Geog.
✠ Instantia Actoris.
* Luc. 1. Ph.
* Virgilius.
† Comparitio cum controversiis.
* Id est intra 10. dies an appelatum.
† Tempus interponendæ Apellationis.
* Id est Gravamina ratione quorum apellatur.
✠ Decretum Inter locut.
* Virg. 4. Æneid.
† Virg. 2. Æneid.
✠ Ovid. 4. Met. * Ovid. 3. Met.

Quô nullus

Quo nullus melior, nec non amantior æqui, * — * *Ovid. 1. Met.*
Clarus erat + Teſtes ſunt caſtæ Palladis Artes * — + *Ovid. 4. Faſt* * *Prop. lib. 3.*
Sunt Comites Muſæ + eſtq; cohors Heliconia Phæbi: * — + *Prop. lib. 3.* * *Stat. 2. Syl.*
Præſidis ergo ſui cupiens narrare labores, * — * *Ad Claſſe Novodvor. vocatur.*
Carmina Calliope libris Heroica mandat.
Clio geſta canens tranſactis tempora reddit,
Melpomene clamat MAMCZYNSKI gloria Noſtrûm — AVSONIVS.
Terpſichore affectus citharis movet, imperat, auget.
Inter tot Proceres gaudet, ſermone Thalia,
Scripta gerens loco plectri Eratho pede, vultu,
Signat cuncta manu, loquitur Polichymnia geſtu.
Pieriîs pollet Studiîs, multoq; redundat * — * *Claud. in Frat.*
Eloquiô, Cujus ſermonis mella politi * — * *Manilius.*
Tullius ipſe bibens: MAMCZYNSKI Roſtra reliquit. — *Rhetorices & Dialectices fit Profeſsor.*
Poſt fecerat ſtudiis animum emendare Platonis. * — * *Prop. Lib. 3.*
Hinc Claſſes quarum manſit rate celſus Iaſon * — * *Stat. 5. Th.*
Quarum Rector erat † quibus dare vela jubebat, * — † *Manil. l. 5.* * *3. Æneid.*
Dāt Portū, & docto fluctu curvantur in Arcum.* — * *Virg. Ecleg. 6.*
Tandem Magnatum meruit volitare per ora* — * *Manil. lib. 4.*
Extat Primus cûi dederat præcepta Magiſter * — * *Virg. 3. Georg.*
Venator Regni, (*a*) Tyrio conſpectus in oſtro,
Maximus ille Togâ, † longè fulgentior armis, * — † *Ovid. ad Leo.* * *Ovid de Puet.*
Emanthion æqui, Cultor timidusq; Deorum, * — * *Ovid. 5. Met.*
Mecænas Eques natus de ſangvine Regum. * — * *Prop. lib. 3.*
Hunc docuit, multâq; inſignem reddidit Arte.*
Chiron MAMCZYNSKI Lechicum perfecit Achillem. — * *Virg. 5. Æneid.*
Fit Collega Minor, fertur majori labore. — *Vocatur ad Collegium. Minus.*
Sprevit deſidias molles, nec marcida luxu * — * *Cl. 3. in Co.*
Otia, nec ſomnos genitor permiſit inertes. * — * *1. in Coſs.*
Verus Academicus totas perducere noctes — * *Ægid. Perrinus. Iuris Conſultus in Iſtit. Imper. Proèm.*
Invigilat, nec vincit Eum tortura laboris, *
Fortior evadit cunctisq; recentior horis.
Aſt iterum mentem convertit, juraq; libat,
Et linguam cauſis acuit, tum Civica jura — + *Horatius 1. Ep.*

(*a*) *Celſiſſimi Principis Illuſtr. & Excell.* D. Stanislai Koſtka *Ducis in Korzec* Czartoryſki Venatoris Regni *Domeſticus Profeſſor.*

Reſpondere

Respondere parat, + Cicerone disertiùs ipso. * — * *Mart. lib. 1.*
Magnos hinc illi dat Iustinianus honores
Cum Lanceloto, Fagnano tum Zarabella,
Canonis hic speculum, Civilis & anchora juris * — * *Elogium Ancherani Iuris Consulti.*
Pluraq; prætereo post cõmemoranda relinquo * — * *Virg. 4. Georg.*
Cuncta quidem centum nequeunt perstringere linguæ * — * *C. lib. 3. in Cons.*
Ex tantis igitur præmissis intulit Actor:
Vinea culta fuit Cultores præmia quærunt. * — * *Ægidius Perrinus.*
Decretum reparet primum seu Iudicis à quo — *Tullius in Causa Honrês concludit.*
Suppleat, & velit Iudex decernere causam.
Tandem: — *Decretum pro parte Honoris.*
Pieridum Columen, cujus Parnassia magno
Numine Templa sonant; * Latonæ vera propago, † — * *Ovidius lib. de Re.* † *Claud. in Laud.*
Filius atq; Iovis, + Musarum Præses Apollo * — + *Tibul. lib. 3.*
Themidis ad lancem appendens documenta laborum. *Quoniam*. — * *Mantuan.*
Iusta pari premitur virtutum pondere libra *
Prona nec hac plus parte sedet, nec surgit ab illa. — * *Neotericus.*
idcirco:
Sic Decretorum moderatur jura suorum. * — * *Virgilius.*
Insignem pietate Virum † magnumq; probumq; * — † *Vir. 2. Æ.* * *Man. l. 4.*
Iustum & tenacem * Virùm volitare per ora + — * *Hor. C. O. 3.* + *Virg. Ecleg. 6.*
adinvenit.
Præmia quanta bonos maneant,* quæ gloria palmæ: — * *Iuven. Sat. 8.*
Atq; trophæa decent, † naturæ jure teneri, — + *Virg. 3. Georg.*
declaravit.
Quantùm lenta solent inter viburna Cupressi * — * *Virg. Ecleg. 1.*
Omnibus in tantùm *Doctorem* excellere rebus * — * *Syl. Ital. lib. 3.*
decrevit.
Degere cumq; suis virtutibus omne per ævum * — * *Luc. ad C. P.*
Multaq; vivendo vitalia vincere sæcla; * — * *Lucr. lib. 2.*
Sententiavit.
Proût decernit, declarat, mediante Decreto. * — *Ita Praxis.*
A quo Decreto meritorum tramite recto,
Appellat virtus *ad Quem de Jure* tenetur.

PROCES-

PROCESSUS HONORIS JURIDICI
In tertia Meritorum Instantia.

PRosequere Honoris Actoratum Princeps Reginæ Animorum Eloquentiæ Tulli! Principalis facundissimè Patrone. Exordiare meritum Causæ ore diserto ne desertata maneat, aut in rem minùs judicatam transeat Appellatio. Laudabilia virtutum & laborum NEODOCTORIS Acta & acticata in prima & secunda Instantijs iam aliàs producta, ne repete! notoria sunt: nulla tergiversatione celari possunt. Novum meritorum *emergens* supervenit: Attentatum tamen dici nequit, etenim pro principali Honoris negotio rationabiliter concludit. *Hoc dùm Supremus Causarum Judex Jupiter interloquitur.* Tullius volumina, Codices, Digesta nova, & plùs quàm duodecem Tabularum Legem, quia merita propè infinita in NEO-DOCTORE Dignissimo revolvit; probaturus. Glorietur (inquit) fons & frons Academiarum *Bononiensis* BERNARDO Parmensi, Gofredo Tramensi, GVIDONE Baisio, Ioanne Angvissola, Rudolpho, Panormitano. *Patavina* Baldo, Ioanne Lignano, Zabarella, Ludovico Gamesio. *Romana* Ioanne à Turrecremata, Parisio, Fagnano. *Parisiensis* Henrico Boich, Gagvino, Gvimerio, Claudio Minos, Doviatio, *Ferrariensis* Butrio, Dorabia; *Ticinensis* Philippo Francho, Antonio Coccho, Rocho Curtio. *Tolossanensis* Cironio, Majoretto: Gvilchelmo de Monte Laudumo, Marano,

Iacobo Cujacio. *Lovaniensis* Baldvino, Vamesi
Zoësio, Vallensi. *Salmaticensis* Navarro, Covarru-
via. *Cadomensis* Gaufreo, Petro Hellæo. *Aurelianensis*
Antonio Curtio. *Marpurgensis* Vigelio. *Mediolanen-*
sis, Bonancinâ, Emanuele Gonzales. *Salisburgensis*,
Ludovico Engel (*a*) Arca ex qua Cives Poloniæ
ditantur (*b*.) Musarum splendor (*c*) *Zamoscensis* Tho-
mâ Dresnero. Horum singulorum ICtorum Ana-
logiam gloriæ, Mater & Magistra doctrinarum, V-
niversitas *Cracoviensis* (*d*) in *Perillustri* NEO-DOCTO-
RE pulchro Scientiarum fædere cum NICOLAO
ZALASZOWSKI Ianidłovio; & alijs univoca-
vit, dum ad Vnitatem vocavit Collegij ICtorum
O quantum in Eo sudavit & alsit meruitq; NEO-
DOCTOR! in docendo assiduus, in consulendo
sincerus, ab animi candore, ingenij solertia omnibus
commendatus. Explicuit Studiosis mentibus In-
stitutiones Vtriusq; Iuris clarè, & cum *Petro Ancha-*
rano promeruit dici: *Canonis hic Speculum Civilis &*
Anchora Juris (*e*.) Compilavit scriptô Apothelesma-
ta in Decretales GREGORII IX. & cum *Sini-*
baldo Genuensi Pater & Orgnanum veritatis (*f*.) apel-
landus. Congessit Glossemata in sextum Decretali-
um, Clementinas, Exravagantes, & eas Panegyres,
quales ab Aretino, Cursio: & Baldo *Ioannes Andreas*
Iuris Consultus (*g*.) *Tuba Juris Canonici dictus* à BONIFA-
CIO VIII. *Lux mundi* salutatus) dempta Hyperbo-
le promeruerat. Quinimò: cum *Quintino* Parisiensi
Professore.

Quintinus Doctor, Librorumq; Helluo summus. (*h*.)
cum Francisco *Duareno Flos iuris-Consultorum* (*i*.) cum

(a.) Joann Doviat Parisiensium Profess: Primicerius Prænot: Canonic: Lib: 5. à Cap: 5. ad 9. de Jn-terpoet: Juris Canonici (b) inscriptio super Almam Academiam Zamosc: à piissimo Fundatore Magno Joanne Zamoyski Regni Cancellario & Exercituum Duce (c) Zalasz: Jur: Reg: Tit. 29. de Episc: Chelmen: f. l: 455. Starovolsk: in descript. Polonia sub Tit: Russia Rubea (d) In Conventu Gener. Cro-sineni A. 1669. Mens: Febr (e) Epitaph: in tumulo Ejusd: in Eccles: D. Dominici Bononiæ (f. Joan. Doviat. Prænot: Can: Lib: 5. pag: 599. (f.) Sylva: Nupt: (g.) Epitab. Ejusd: Lutetiæ in Choro S. Joan: Lateranensis (h) Elogium in tumulo Ejusd: Parisijs in Æde S. Benedicti (i.) Franciscus Balbo Cod: de præscrit: in proœm:

Chopino memoriæ Theſaurus, & penus Legum cum *Hoſtienſi* V. I. *Monarcha* absq; ceruſſa ſimulationis & ſimultatis rectè dicendus non immerito. Verùm enimverò ſi aliorum gloria ultra limen non evadit, ijſdemq; ſeneſcit in cunis, in quibus nata eſt, Nomen Digniſſimi NEO-DOCTORIS extra Cardines Minoris Poloniæ exivit, à Majori propter maxima merita adoratum. Scilicet perbellè æſtimavit *Obſequiū deberi Matri* (a) igitur ex diſpoſitione Ejuſdem ad Academiam Pôſnanienſem pro Directoratu pergit. Et benè: non potuit equidē meliùs Lubranſciana Pinus fructus Honoris & honeſtatis Orbi Polono parturire, niſi rore Scientiarum ſub regimine Perilluſtris NEO-DOCTORIS uberrimè irrigata. Non ex omni ligno (vulgo dicitur) fit Mercurius. Lubranſciana tamen Arbor vivæ admodùm vocis oraculo in Ducibus, Senatoribus, Præſulibus, Miniſtris, quibus in Clavas, Curules, peda, Caduceos excrevit; ſub regimine NEO-DOCTORIS exculta loquitur, atq; Illi *ex obligatione Antidotali* triumphalem ſinuatur in Arcum. Annîs tribûs & medio rexit feliciſſimè Academiam, & Luco Illi lucē addidit, avulſa recuperando, jura vindicando, totum Academum illuſtrando. Dicite vos *Minoris cenſus Philomuſi* (b) Profeſſores Academici, quos ſi tenues proventus panis Academicus de fundatione in tempore non concernebat, de proprio interim peculio in ſuſtentando providebat NEO-DOCTOR, ut bonus Pater Filios Almæ Matris nutriendo. Diligebant Eum Profeſſores pariter, pariterq; timebant, ipſe timor Eorum amabat ſuum Digniſſimum *Directorem*, quibus, in dirigendo ſvavis cum gravitate Animi, in tractando amabilis cum Authoritate, in commonendo benevolus cum Pa-

(a) *l. 1. ff. de Obſequijs.* (b) *Veſpaſianus* Kochowſki *in Hipomn: Reginarum Poloniæ in vita Hedgig: Regi Pol: pag: 84.*

terna adhortatione præfuerat. Hoc ſub Duce regularis Profeſſorum exercitus militavit pro honore Almæ Matris ſtrenuè, triumphavit glorioſè, & ſi quam palmam retulit; Ducis eſt: quidquid operoſo frontis effuſum ſudore, in NEO-DOCTOREM velut fontem redundat. *Aſſeſſor Judiciorum, primus Cenſor Librorum, Examinator Synodalis,* judicavit quod ſanctum, correxit quod Romanæ Eccleſiæ contrarium, examinavit quod ad ſcientiam, vitam & honeſtatem ſpectat Cleri univerſi. Eruditionis enthuſiaſmo animatus vixit, non ſibi ſed bono communi, philautiâ non intumeſcendo, omnibus carus, nemini non jucundus. Taceat Tacitus, curtetur & ſi Curtius *Opus* tamen *laudat Magiſtrum* [a] etenim *Praxim Commiſsorialem* in commodum & utilitatem Cleri; in *luculentam* (cum Sacratiſſimo Principe Juſtiniano loquar) *erexit Conſonantiam* [b] nam toties reimpreſſa in auribus eruditorum Virorum reſonavit. Inter docta Sacrarum Familiarum agmina, ex Theſibus Theologicis dexterrimè oppugnando, ſine cæde Victor evaſit. Ex Sacris exedris cum Bernardo nectar ab ore fudit, cum Chryſoſtomo aurum locutus, cum Auguſtino Sole Doctorum ſparſit Divini Verbi radios, quorum influxus prævius ſentiente Oratore, ſed non cogens judice Philoſopho, ut fiat efficax, ſvavis ut fiat liberè, fortis & lenis, infallibilis & blandus urgens ſvaviter & movens efficaciter. Idcircò luci publicæ mandat *Divorum Panegyres*, ut & animas mortalium noctivagô caligantis peccati obvolutas Sypariô Divini Verbi lecturâ illuſtret, & ſibi invehat meridiem meritorum. Fulget Scientiâ, ſed non ſimplicis intelligentiæ, nam quæ ſunt, & quæ fuerunt, quæ mox ventura trahantur oculatior

(a) *Authen: de Monachis §. Sancimus Col:* 1. (b) §. 2. *Inſtit: ad proœm:*

Argus

Argus perſpicáci mentis ſuæ auſcultat animo; veluti Scientiâ Viſionis. Quare *Illuſtriſsimi* olim, *&* *Excellentiſsimi Domini D.* STANISLAI *de Bezdan* HOSII Epiſcopi *Poſnanienſis* adhæſit Cordi, ut Quem in partem meliorem ſui Corporis, quia intimum Conſiliariũ elegerat, Eundẽq; ut Octavianus Pappiũ præ cæteris adamaverat. Admovit NEO-DOCTOR doctiſſimam manum Synodo *Hoſianæ*, deditq; regulas (Qui ſolus norma vitæ eſt) rectum judicium, (Angelus Conſilij dicendus) quô Sancta Synodus perageretur, quibus Conſtitutiones ſanciret, Sancitas ad obſervandum promulgaret. Habuit quid æſtimaret, *Illuſtriſsimus & Reverendiſsimus Dominus* IOSEPHVS *à Kiekrz* KIERSKI, *Epiſcopus Bolinenſis*, *Suffraganeus* & *Officialis* protunc *Generalis Poſnanien:* Eruditorũ Sol in Parelio, Eccleſiæ Corculum in Ocello NEO-DOCTORE Digniſſimo, in quo præterquàm ſuos diviſit affectus, Eundem circa Viſitationem Eccleſiarum Collegiatarum & Parochialium in & extra Poſnaniam *Cancellarium ſui* conſtituit. Verùm primæ Magnitudinis mentes (qualis NEO-DOCTORIS eſt] prout magnorum ſyderum imitantur virtutem, adeò: ut quamvis lucem, efficaciam & motus ſuos toti impertiantur univerſo, à ſphæra tamen cui infixa ſunt non recedunt, Ita: talem ſe nativo firmamento præſentavit NEO-DOCTOR. Redijt bonis Superis Motrix Intelligentia ad orbitam ſuam, dilectus Filius ad Almam Matrem, ſed qualis & quantus? non alius: quàm Mare Balticum à fortunatis quibuſdam Inſulis illud Electrum fundo vehit; ut ditet confines. NEO-DOCTOR ut Minorem appretiaret Poloniam, è Majori electiſſimas quaſq; virtutum excellentias in ſe attulit. Libravit

hæc pretiosa gazophilacia Æstimator literarum & Literatorum, Ecclesiæ Lumen, Principum, Ducum Senatorum Primogenitus, Consus & Stator Lechicus, Regum, Principum, ac suæ Altricis Vniversiatis Cracoviensis acerrimus Propugnator *Celsissimus Princeps, Illustrissimus & Reverendissimus Dominus*; *D. CHRISTOPHORUS ANTONIUS* à Słupow *SZEMBEK Archi-Episcopus Gnesnensis, Legatus Natus, Regni Poloniæ & M. D. Lithvaniæ Primas, Primusq; Princeps*, & in Aula sui multùm æstimavit, imò cum nativis Rosis sese continuò explicat NEO-DOCTORI in Ver gratiarum, eò amæniùs quò venustiùs: Suo admovet pectori. Ponderavit ac ponderat Hic Lechicus Consus, MAMCZYNII gravem Consiliorum maturitatem, libravit satis & librat hic Polonus Cato, prudentiam in rebus agendis, igitur sollicitum Procuratorem Canonizationis *B. BOGUMILI Archi-Episcopi Gnesnensis*, constituit & declarat. Boni superi! quantũ hic Dignissimus Procurator laborat pro Sancto? quantùm sudat in deducendo Processu vitæ, prodigiorum B. *Archi-Præsulis*, quantùm incommoda viarum fortiter sustinet? quantũ propriæ non parcit vitæ? Cælum & Sydera testes. Sub Rosa tandem SZEMBECIANA silentio reconderem [ait Tullius] dive-gesta, bene-merita *Perillustris NEO-DOCTORIS*, sed sparsus boni Viri odor, roseum Poloniæ Hortensium, floridum ad sui Elogia implet Oratorem. Nimirum *Celsissimus Princeps Illustrissimus & Excellentissimus Dominus D. IOSEPHUS Dux in Korec, & Olexienice* CZARTORYSKI, *Supremus M. D. Lithv: Vexillifer*, Eruditorum Gemma, Sago Togâq; meritissimus. Cuius plures si Titulos poscimus? pleni sunt Eius numeroso Consule fasti. Lechici Regni Pignoris, Coronæ Domûs suæ Custodem *Illu-*

strissimæ

ſtriſſimæ Prolis, moderni *Regni Venatoris* Anteſi-gnanum *Perilluſtrem* MAMCZYNSKI largîs cumulat beneficîjs, ac vivæ vocis Oraculô inæſtimabiles appretiat dotes. Exulta hinc, exulta dilecta Parens, Mamilla Regum, Alma Mater tantô Filiô, lactaſti Eum virtutum ubere, & protinùs reptavit per ſcuta Palladis maturus Adoleſcẽs, nutriſti Eruditionis lacte, & crevit ingeniô Gigas, præbuiſti alimenta morum, & in ſubſtantiam aliti probæ vitæ convertit, dediſti bonum, imò optimum eſſe, ac conſequentias ad eſſe, en Dilectus Tuus lætitia & Corona Tui factus.

Et hæc ſunt Sole clariora in Arèópago Literario dicta, & deducta dive-geſtorum, & benemeritorum documenta, juſtum præmium omni titulô, quôvis jure vindicantia. Decerne igitur pro Honore NEO-DOCTORIS Digniſſimi ultimæ Inſtantiæ Supreme Cauſarum *Judex Jupiter*. Ego (*inquit Tullius*) fundatus principio Iuris. *Fax illuſtrari non debet*: (*a*) per ſe clara ampliùs non probo; ſecuturæ potiùs poſteritati probanda relinquo. *Standum eſſe pro Honore favorabiliter, concludo.* *Concludit Tullius in Cauſa Honoris.*

Ergo Jupiter Saturni, & Opis Filius, Vniverſæ Moderator terræ, Supremus Altiſſimi Areopagi Iudex, Numinum nomine invocato pro Tribunali ſedens; jurium Deam & Eius juſtitiam Aſtræam præ oculis habens, per hanc definitivam Sententiam in Cauſa Appellationis Honoris pro parte *Perilluſtris Clariſsimi Domini* MAMCZYNSKI NEODOCTORIS *Digniſſimi*, viſis tum huius quàm *2dæ* & *1mæ* Inſtantiarũ laudabilibus Actis acticatis; illîsq́, & Cauſæ me- *Decretum pro parte Honoris.*

(*a*) c. Si Omnia 6. quæſt. 1.

ritis benè perpensis, visô insuper Almô Sceptrigeræ Matris Universitatis Gremiô, in Thronum DOCTORALIS præeminentiæ cum amplissimo Ordine NEO-DOCTOREM deducente, dicit, declarat, & sententiat. Ejdemq; post Virtutum TriumphumCivicam, post laborum Victoriam Navalem, post Meritorum certamen Obsidionalem jure debito, adjudicavit Cydarim. Imò post hæc omnia, in supplementum altè memoratorum Decretorum in vim justi præmij Insignia Doctoratûs Vtriusq; Juris per *Perillustrem Clarissimum & Admodùm Reverendum Dominum D. M.* ADALBERTVM MICINSKI Vtriusq; Juris Doctorem & Professorem, Ejusdemq; Facultatis Decanum, Ecclesiarum Collegiatæ SS. OO. Custodem, Koniuszeniem Præpositum, Luborzycensem Curatum, Virum de Ecclesia DEI, & Republica Literaria meritissimum contulit. Lauru Doctorali emeritam frontem coronavit, ut à fulmine fatorum existeret tutus, exoptando. Librum apertum ad legendum Privilegia omnigenæ felicitatis, videndum Literas Gratificationis Almæ Matris, inveniendum Indulgentias plenarias sortis benignæ ad longos Nestoris annos porrexit. Eruditorum Gemmam Annulo Doctorali inserendo, cum Policrate meliori fortunæ desponsavit. Vivæ vocis Oraculô *CELSISSIMI PRINCIPIS CANCELLARII & CONSERVATORIS* (a) *FAVENTISSIMI*, (Cui totus Academicus Orbis pro tantis beneficijs ad *Antidota* naturaliter obligatur (b) *VTRIVSq; JVRIS DOCTOREM* creavit, creando juxta obloquentiam Legis; Iustitiæ Ministrum (c.) Virum Magnificum (d.) Iuris Interpretem (e.) Gloriosum, Clarissimum, Inclytæ recordationis, optimaq; memoriæ Iuris Consultum (f.) declaravit. Plura NEO DOCTORI Dignissimo cùm conferre non valuerit, de prosperioribus per *RESCRIPTVM GRATIÆ ex Signatura Celesti* providendum precatus est. *Prout infacto: Coronat, desponsat, confert, declarat & precatur; non solum præmisso, sed & omni meliori modo.*

(a) CelsissimusPrinceps Episcopus *Cracoviensis*, Conservator *Universitatis, juxta Privilegium* Vladislai Jagellonis *An: 1400. Feriâ 2dâ proximâ post Festum Sancti JACOBI Apostoli, Universitati Cracov: concessum, & à Sede Apostolica approbatum.* (*b.*) *l. sed et si lege. §. consuluit ff. de petit: hered.* (*c.*) *In Proæm: ff. §. discipuli & §. Advocati l. Advocat: divers Judicior.* (*d.*) *In Proœm. Inst. Imper: §. curaq;* (*e.*) *L. 1. ff. de Justitia & Jure* (*f.*) *Alex: in addit. ad Batr. in l. 1. C. de Dignit. L. 12.*